

inopiam humoris facto cœno ostreae prouenerunt, ut apud Rhodum insulam, cum classis applicuisset, & ficilia proiecta essent in mare, tempore post cœno obducto testis ostreae in ijs reperiebantur. nihil autem partis genitalis emitti ab ijs argumentum est, quod cum Chij quidem ex Pyrrha Lesbi insulae ostreas uiuas portassent, & in loca quaedam maris reciproci aestus & luto similia dimisissent, plures nihilo fuere temporis spacio, quanquam incremento corporis plurimum profecerunt. Quae autem oua appellantur, nihil ad generationem conferunt, sed indicio sunt nutritionis melioris, quale in sanguineis pingue est. quam ob rem sapore per id tempus praestant, ciboque laudantur: argumento, quod & pinnae & buccina, & purpurae continent quidem semper ouum illud uocatum, sed alias maius, alias minus. sunt etiam quae non semper, sed uere id habeant. mox enim tempore procedente minuitur, demumque totum aboletur, ut pectines, mituli, ostreae. Tempus hoc enim prodest eorum corporibus, alijs nihil tale aperte uenit, ut callis, Sed singula eorum, & quibusnam orientur locis, petere ex historia debes.

ARISTOTELIS STAGIRITAE DE

GENERATIONE ANIMALIVM LIBER QUARTVS,

INTERP. THEODORO.

Democritum, Empedoclem, & nonnullos alios non recte de maris & foeminae generatione sensisse. Caput I



GENERATIONE animalium omnium, tum uniuersum, tum singulatim dictum iam est. Sed cum in eorum perfectissimis mas & foemina distincte habeantur, easque facultates omnium animalium & plantarum esse principia fateamur, quamquam in alijs discretas, in alijs indiscretas, differendum hic est primo de eorum ipsorum generatione. imperfectis enim adhuc suo in genere distinguitur sexus maris & foeminae. Sed utrum prius etiam, quam haec differentia sensu nostro percipi possit, alterum mas, alterum foemina sit, discrimine facto in utero, an post, ambigitur. Alij enim protinus in seminibus hanc esse contrarietatem aiunt, ut Anaxagoras, & alij naturales autores. etenim semen gigni ex mare, foeminam autem locum praebere, mare a parte dextra, foeminam sinistra proficisci: & uteri latere dextro marem contineri, foeminam sinistro. Alij uero id ascribunt, ut Empedocles. Quae enim uterum subierint calidum, haec effici mares arbitratur: quae frigidum, foeminas. caliditatis uero frigiditatis uel causam esse confluuium menstruorum, quod frigidius uel calidius sit, & aut antiquius, aut recentius. Democritus Abderites differentiam maris ac foeminae fieri quidem in matre ait, sed non caliditate frigiditate uel, alterum effici marem, alterum foeminam: sed utrius tandem semen euicerit, quod ab ea prodisset parte, qua mas & foemina inter se differunt. hoc enim Empedocles profecto negligenter opinatus est, ut caliditate frigiditateque tantum differre haec inter se existimaret, cum partes ipsas genitales, & uterum magnam habere differentiam cerneret. nam si postea, quam formata sunt animalia, alterum partibus foeminae omnibus, alterum maris constitutum, mox in utero tanquam fornace ponantur, quod uterum habet, in calido, quod non habet, in frigido: erit foemina quod utero caret, mas quod uterum habet. quae res impossibilis est. itaque eatenus quidem melius a Democrito dicitur. Quae enim ille differentiam huius generationis, & reddere conatur: sed an bene, nec ne, id alio pertinet, tum etiam si caliditas & frigiditas causae sint, ut partes haec diffe

hæc differant, hoc explicare debuerunt, qui ita uolunt, hoc enim ferè est docere de
 generatione maris ac foeminae. his enim partibus planè differunt. nec parum nego-
 cij est, causam generationis earum partium ab illo principio ducere, cum necesse sit
 ita sequi, ut si animal refrigeratur, pars efficiatur ea, quam uterum appellamus: si ca-
 lefcit, non hæc efficiatur, eodemq; modo de ijs partibus quæ ad coitum accommo-
 dantur, nam eæ differunt inter se, ut antè expositum est. Ad hæc, sæpenumero eue-
 nit, ut eadem in parte uteri gemini mas & foemina generentur, idq; satis inspeximus
 in dissectionibus animalium uiuiparorum, tum pedestrium, tum etiam piscium.
 Quæ si non ille conspexerat, meritò errabat, cum eam afferret causam, sed si cum
 10 hæc explorata habuisset, ita sensit, absurdum sanè est quod insuper putarit causam
 uteri esse caliditatem aut frigiditatē. ambo enim semper aut mares aut foeminae effi-
 cerentur, quod non ita euenire uidemus. Item cum partes eius quod gignitur, discer-
 ptas esse fateatur (partim enim in mare, partim in foemina esse putat, ideoq; alterū
 coire cum altero concupiscere) magnitudinem earum quoque partium esse diuisi-
 sam, uelleq; coniungi necesse est, non refrigeratione calefactione ue ita institui, sed
 feminis huiusmodi causæ complura fortasse obijci possunt. modus enim hic causæ
 figmento similis est omnino, cæterum si ratio feminis ita se habet, ut explicatum à
 nobis est, & neque ex omni corporis parte decedit, neque materiam ullam ijs, quæ
 gignuntur, præbet, quod proficiscitur à mare, iam & ei, & Democrito, & si quis alius
 20 ita censet, occurrèdum simili modo est. nec enim discerptum esse potest feminis cor-
 pus, ut partim in foemina sit, partim in mare, ut Empedocles censet, cum dicat: Sed
 discerpta gerunt, mas ipse, & foemina membra: neque totum ipsum ex utroq; dece-
 dens, quia pars aliqua partem aliam uicerit, ideo efficitur mas aut foemina, quam
 quam omnino melius partis exuperantia foeminam aut marem effici dixerit, quam
 per incuriam calori aut frigori tantum causam tribuat, sed cur formam etiam genit-
 talis diuersam esse unà eueniat, causa reddenda est, ut hæc semper uicissim conse-
 quantur, nam si quoniam iuxta sunt, ita fit, reliquæ etiam quæque partes consequi
 debuerunt, sunt enim inter eas quæ superant, aliæ alijs propinquæ. Itaque simul &
 foemina esset & matri simile, aut mas & simile patri, absurdū etiam tantum eas effici
 30 partes oportere, nec totum corpus mutari existimare, & præcipue, primoq; uenas,
 quibus ueluti descriptione deductis, corpus adiacet carniū, quas suam recipere
 qualitatem propter uterum, nulla probabili ratione dici potest: sed potius uterum
 propter eas suam recipere qualitatem ratio est, quanquam enim utrunque sangui-
 nis conceptaculum est, tamen uenæ sunt prius, principiū autem mouens prius esse
 semper, & causam generationis aliqua sui qualitate necesse est. Accidit igitur diffe-
 rentia earum partium inter se foeminae & mari, nec id esse principium, neque cau-
 sam esse hanc arbitrandum, sed aliam, etiam si nullum semen uel à mare, uel à foemi-
 na decedit, sed quolibet modo consistit, quod gignitur. Quinetiam contra eos, qui
 marem à dextra, foeminā à læua parte proficisci aiunt, eadem ratio sufficit, quæ con-
 40 tra Empedoclem & Democritum, siue enim nulla materia à mare affertur, siue ali-
 qua affertur, ut uolunt, nihil dicunt qui ita censent, necnon Empedoclis sententiæ
 pari ratione occurrèdum est, qui marem à foeminā distinguit caliditate uteri, & fri-
 giditate, quod illi etiam faciunt, qui dextris sinistrisq; rationem describunt, quan-
 quam uideant marem & foeminam inter se differre, & parte & toto, sed cur sinistris
 corpus uteri adiungatur, dextris nequaquam: nam si foetus eò uenerit, nec eam
 ipsam habuerit partem, foemina erit sine utero, & mas erit cum utero, si ita fors tulerit.
 Item, ut antè retulimus, & foemina parte uteri dextra contineri uisa est, & mas
 læua, & ambo eadem in parte, idq; non semel sed sapius, quam aut mas in dextra,
 aut foemina in læua, nec minus ambo in dextra gignuntur, atq; etiam cum gemini,

mas & foemina gestarentur, marem in laeva, foeminam in dextra contineri perspe-
 ctum est. Proxime quia aliqui persuasi dicunt teste praeligato dextro aut sinistro eue-
 nire per coitum, ut mas aut foemina generetur. sic enim & Leophanes dicebat. tum
 etiam exectis alterum testem hoc idem accidere quidam aiunt non vere: sed rem con-
 iectantur futuram ex consentaneis, atque anticipant, quasi ita sit, priusquam ita fieri vi-
 deant. ignorant etiam nihil ad generationem maris aut foeminae conferri ab his par-
 tibus. cuius rei indicium, quod multa animalia & ipsa mares ac foeminae sunt, & ge-
 nerant partim foeminas, partim mares, cum tamen testes non habeant: uelut ea quae
 pedibus carent. uerbi gratia, genus piscium, & serpenteum. causam uero maris & foe-
 minae caliditatem frigiditatem ue arbitrari, secernique de dextris aut de sinistris, non
 sine ulla ratione dici potest. Sunt enim partes corporis dextrae calidiores sinistris, &
 semen concoctum calidius est, quale id, quod spissum est. foecundius autem quod
 spillius est. sed ualde a longe tangitur causa, cum ita affertur. Accedendum autem
 semper ad rei causas primas, quoad maxime fieri potest, propius. de corpore igitur
 toto, & de partibus, quid quaque sit, & qua de causa, iam ante explicatum alibi est. Sed
 cum mas & foemina potentia quadam & impotentia definiantur (quod enim potest
 concoquere, & constituere, & secernere semen, atque principium obtinet formae, id
 mas est. Principium autem non hoc dico, ex quo, ut materia, tale gignitur, quale quod
 generat, est: sed id quod primum moueat, siue in seipso, siue in altero possit hoc face-
 re. quod autem recipit, nec potest constituere & secernere, id foemina est. Item si
 omnis concoctio calore efficitur, mares quam foeminas esse calidiores necesse est.
 ob frigiditatem enim & impotentiam foemina sanguine abundat quibusdam sui cor-
 poris locis. idque indicium facit contra quam aliqui afferunt causam, cum foeminam
 esse mare calidiorum opinentur, ob menstruorum emissionem. sanguis enim calidus
 est, & quod plus sanguinis habet, hoc calidius est. putant autem hunc affectum mo-
 ueri abundantia sanguinis & caloris, quasi aequae quoduis sanguis esse possit, modo
 humidum sit, & colore cruentum: nec ita eueniat, ut minus sanguinis, & syncerius
 fiat in corpore alimentum melioris & habitus. sed illi perinde ac excrementum alui, quod
 pluris sit, hoc indicium esse naturae calidioris magis, quam quod minus, existimant.
 At qui contra omnino est. ut enim in fructibus conficiendis ex copia primi alimenti
 parum secernitur, quod utile sit, demumque nulla pars remanet respectu copiae pri-
 mae: sic in corpore animalis, postquam partes per successionem alimentum conficien-
 dum receperunt, ad postremum parum admodum remanet ex toto alimento, quod in
 alijs sanguis, in alijs proportionale sanguinis est. Sed cum alterum potest, alterum non
 potest secernere excrementum syncerum, omnisque facultas instrumentum aliquod sibi
 accommodatum habet, & quae melius, & quae deterius idem efficiat: foemina autem
 & mas, cum multifaria uerba haec, posse, & non posse, dicantur, modo praedicto sibi
 opponantur, instrumentum ob eam rem tum foeminae, tum mari tribui necesse est.
 itaque alteri uterus, alteri coles datus est. Natura autem simul & facultatem cuius dat, &
 instrumentum. sic enim melius est. quam ob rem singula loca una cum singulis ex-
 crementis & facultatibus sibi accommodatis instituuntur. atque ut nec uisus sine ocu-
 lis, neque oculus sine uisu perficitur, sic & alius & uelica simul atque excrementa fieri
 possunt, conditur. Sed cum idem sit ex quo generentur, & augeantur, idque sit alimen-
 tum, pars corporis quaque ex tali materia, talique excremento qualis est capax consi-
 stet, & fiet. Gignitur item ex contrario quodammodo unumquodque, ut nos cense-
 mus. Ad haec, tertium illud sumendum est, ut quoniam omnis delatio in contrarium
 est, quod non ab eo superatur, a quo conditur, siue creatur, id in contrarium muta-
 ri necesse sit. his ita subiectis apertius fortasse iam fuerit, qua de causa alterum mas,
 alterum foemina fiat. Cum enim principium non superat, neque concoquere potest
 propter

περιπνεος,
 coles.

φορα, delatio.
 φθορα, corrosio.
 ptio.

Natura uero
 magis quae
 perfectius est
 pura foemina
 hoc idem
 Rationem autem
 rema
 quibus
 ut mensura
 acco
 rum. de
 per men
 luce. al
 coris
 sed eam

propter caloris inopiam, neque ducit in suam formam, sed tantisper superatur, mutari in contrarium necesse est. contrarium autem maris foemina est, uidelicet qua alterum mas, alterum foemina est. Et cum facultatis siue uirtutis differentiam habeat, instrumentum quoque habet auersum. itaque in tale mutatur. parte autem aliqua opportuna mutata, constitutio tota animalis multo discrepat forma. licet hoc perspicere in spationibus, qui una parte truncati tam a pristina forma discedunt, parumque a foemina specie distant. cuius rei causa est, quod partes nonnullae principia sunt. principio autem mutato, multa ex ijs quae sequuntur, commutari & dimoueri necesse est. quod si mas principium quoddam & causa est, masque est qua aliquid potest, foemina uero qua non potest, potentiae autem & impotentiae ratio sic describenda est, ut facultas aut afflit aut desit concoquendi ultimi alimenti, quod in sanguineis sanguis appellatur, in exanguibus proportionale, eiusque causa in principio & parte quae originem naturalis caloris continet, sita est, cor profectio in sanguineis constitui, & aut marem aut foeminam fieri quod gignitur necesse est, in caeteris uero generibus mas & foemina est, quod proportionale cordis habeat. origo & causa foeminae & maris haec, & in hoc est. Foemina autem & mas iam est, cum partes etiam habent quibus foemina differat a mare. non enim quauis parte mas aut foemina est, quomodo nec uisus nec audiens. sed repetendo dicimus. Item semen excrementum esse ultimum alimenti positum est. ultimum autem id intelligi uolo, quod in unamquamque partem feratur. quam ob rem quod generatum est, simile ei quod generauit, est. Nihil enim refert ab unaquamque parte proficiscatur, an ad unamquamque accedat. sed rectius ita. Maris autem semen differt, quod principium in se continet tale, quo moueat, & alimentum in animali ultimum concoquat: foeminae semen materiam tantum praebet. quoties igitur semen superat maris, ad se ducit. cum superatum est, in contrarium demutatur, hoc est, in corruptionem. contrarium autem maris foemina est. foemina cruditate frigiditateque sanguinei alimenti describitur. natura uero excremento cuique dat conceptaculum. semen autem excrementum est, quod in calidioribus atque maribus sanguinei generis contractius est. quapropter membra capientia eius excrementi meatus in maribus sunt. at foeminis praecruditate copia redudat sanguinea. inconceptus enim incoctusque sanguis est. itaque conceptaculum eius haberi necesse est, idque dissimile esse, & amplius. quocirca natura uteri talis est, qua parte foemina differt a mare. Exposui causam quam ob rem alterum mas, alterum foemina generetur.

Indicia, quibus maris a foeminae generatione generatio discernatur.

Caput II



Indicia uero faciunt res, quae accidunt. nouella enim, & senescens aetas magis, quam florens foeminas generat. in altera enim calor nondum perfectus est, in altera deficit. humidiora etiam, effoeminatioraque corpora foeminam potius gignunt. & semina humida magis, quam spissa hoc idem faciunt. haec enim omnia eueniunt caloris inopia naturalis. Flatibus item aquilonijs magis, quam austrinis mares gignuntur. fit etiam ut excrementis eiusmodi corpora abundant. plus autem excrementi concoctu difficilius est. quam ob rem maribus semen, mulieribus menstrua decedunt humidiora. Tum etiam ut menstrua secundum naturam mensibus decrescantibus potius fiant, eadem de causa accidit. tempus enim hoc mensis frigidius est, & humidius, propter lunae decrementum, defectionemque. Sol enim per totum annum hyemem, atque aestatem facit: at luna per mensem id agit. quod ita fit, non accessu discessuque lunae, sed alterum in crescente luce, alterum decrescere. Necnon pastores aiunt interesse ad maris ac foeminae pecoris foeturam, non solum si ita accidit, ut initus aquilonijs, austrinis uel flatibus fiat, sed etiam si, cum pecus coit, spectat ad aquilonem aut austrum. Ita minimo interdum

momento causa datur caliditatis aut frigiditatis. hæc uero causam complent generationis. Dissident omnino inter se mas & foemina, ob eas quas diximus causas, ad maris aut foeminae generationem. sed moderatione, quæ intercedat, opus est. nam omnia quæ uel natura uel arte efficiuntur, ratione aliqua sunt. Calor autem si ualde superat, exiccat humorem: si multum deficit, non cõcernit. sed medijs ratione ad rem condendam seruari requiritur. alioquin, ut in ijs quæ igne coquuntur, plus ignis deurit, minus non coquit, ac euenit utrinque, ne quod agitur perficiatur: sic in coitu maris & foeminae moderatione opus est. hinc multis tum maribus, tum foeminis euenit, ut cõiuncti inter se nequeant generare, disiuncti queant: & aut minoribus natu, aut maioribus hæc contrarietates existant, æque in generatione, sterilitateque, & maris foeminaeque procreatione. Quin & inter terras & aquas interest eisdem de causis. qualitatẽ enim quandã potissimum recipit & alimentum, & dispositio corporis ex temperamento aeris cõtinẽtis, & cibi ingrediẽtis: sed præcipue ex alimonia aquæ. huius enim usus plurimus est, atque in omnibus aqua alimento est, etiã siccis. Quam ob rem aquæ crudæ & frigidæ, aut sterilitatem, aut partum foemineum faciunt.

Causæ ob quas nati, uel parentibus, uel alijs sint aut similes, aut dissimiles. Caput III

HAedem causæ sunt, & ut alij parentibus similes generentur, alij dissimiles, & alij patri, alij matri, tum corpore toto, tum uero partibus singulis, & parentibus magis, quam maioribus suis, & ijs potius, quam quibuslibet, ac mares potius patri, foeminae matri, alij nulli consanguineo similes, sed tamen homini similes, alij ne homini quidem, sed iam monstro. Qui enim suis parẽtibus similis nõ est, monstrum quodammodo est, discessit enim in eo quodammodo natura ex proprio genere, cõpitiq; degenerare. sed initium primũ degenerandi est foeminam generari, non marem. uerum hoc necessarium est naturæ. Genus enim seruari oportet eorum, quæ foemina & mare distinguuntur. Sed cum fieri possit, ne aliquando semen superet maris, aut ob aetatem iuuenilem, senilem ue, aut ob aliam eiusmodi causam, foeminã ob eam rem gigni necesse est. at monstrum gigni non necesse est, scilicet ad causam cuius gratia, & finem, quanquam per accidens necesse est. nam principium hinc sumatur oportet. quoties enim excrementum seminale bene concoctum in mensuris est, motus maris agit pro sua forma. nihil enim refert genitura dicatur, an motus, id quod partem corporis unamquanc; augeat. nec interest augentem motum, an principio instituentem placeat appellare. eadem nanc; ratio motus est. itaque si superat, faciet marem non foeminam, & similem ei qui generat, non matri. sed si non superat, pro ea qua non superarit facultate, defectum faciet. facultatem autẽ hoc modo intelligi uolo. quod generat non solum mas est, sed etiam talis mas, ut Coriscus, aut Socrates. nec modo Coriscus est, uerum etiã homo. ad hunc modum, alia propius, alia remotius insunt in eo quod generat, uidelicet, qua genitale est, non per accidens. uerbi gratia, si gramaticus aut uicinus cuiusquam, qui generat, est. Valet autẽ semper in generando magis, quod proprium & particulare est. Coriscus enim & homo, & animal est: sed propius a proprio distat homo, quam animal, generat autem & quod particulare est, & quod genus est: sed magis quod particulare. hoc enim substantia est. Quod enim gignitur, & si quale quid est, tamen hoc quicquam est, idque substantia est. quam ob rem ex facultatibus insunt in seminibus eiusmodi omnium motus. maiorum etiã propria in nepotum semine insunt potentia: sed propinquius semper quod particulare est. particulare Coriscum dico, & Socratem. sed cum omne quod mutatur nõ in quodlibet, uerum in sibi oppositum transeat, ideo & quod in generatione nõ superatur, transeat in oppositum necesse est, pro ea facultate qua non

non superarit, quod generat, moueatq̄. quod si qua est mas, nō potuit, fœmina gignitur. sed si qua est Coriscus aut Socrates, non patri, sed matri simile gignitur. ut enim omnino patri, mater opponitur, sic singulis generantibus singulæ generantes opponuntur; similiq̄ modo in sequentibus facultatibus agitur, semper enim in sequentem & proximum maiorum potius transitur, tam in patre, quàm in matre. Insunt autem motus alij actu, alij potentia. actu insunt motus eius qui generat, & uniuersalium, ut hominis, ut animalis. potētia insunt motus fœminæ, & maiorum tam in patre, quàm in matre. mutatur igitur transigens in opposita. motus autem qui creant, soluuntur in propinquos. uerbi gratia, motus eius qui generat si soluat

10 tur, primum differentia minima in motū patris transibit, mox in aui, atq̄ deinceps ad hunc modum in cæteros similes. In fœminis quoq̄ trāsitus fit. motus enim concipientis in motum soluitur matris: si non in eum, in auia: eodemq̄ modo in superiores. sed potissimum ita natura fert, ut qua mas, & qua pater est, simul & superet, & superetur. parum enim discriminis est. itaque ut simul utrunq̄ eueniat, nequaquam difficile est. Socrates enim uir talis quis est. quam ob rem mares magna ex parte similes patri existunt, fœminæ matri. simul enim in utrunq̄ disceditur. opponitur autem fœmina mari, mater patri: discessusq̄ in opposita fit. sed si motus qui à mare est, superarit, qui uero à Socrate est, non superarit: aut hic superarit, ille nō, ita euenit, ut mares similes matri, fœminæ similes patri generentur. Item si motus

20 soluantur, & qua mas est seruetur, Socratis autem soluat in patris, mas erit auo similis, aut alicui cæterorum superiorum maiorum, prout solutio tetenderit. Sed si qua est mas superetur, fœmina erit similis potissimum matri. si autē & hic soluat motus, matri assimilabitur matris, aut alicui superiorum pari ratione. Idem modus partiū quoq̄ est. sæpe enim aliæ patri similes, aliæ matri, aliæ maiorū alicui similes constituuntur. insunt enim & partium motus, alij actu, alij potentia, ut sæpius diximus. omnino subiiciēda sunt tria illa, unum quod modo dixi, motus inesse, alios potētia, alios actu. alterum, degenerare in oppositum, quod superatur. tertium, transire in motum proximū id, quod soluitur. & si minus soluitur, in propinquum: si magis, in remotiorem discedere. demumq̄ ita confundi, ut nemini suorum similes

30 prodeāt, sed cōmune tantū relinquatur, ut homo sit. cuius rei causa est, quod commune particularia consequitur omnia. homo enim uniuersale est: Socrates pater, & quæcunq̄ est mater, particulare est. causa ut motus soluantur est, quod omne agens patitur etiam à patiente. ut quod secatur, hebetatur ab eo quod secatur: quod calefacit, refrigeratur à calefēte. deniq̄ quodcunq̄ mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu. uerbi gratia, quod pellit, pellitur quodammodo: quod premit, reprimitur. Interdum etiam ita fit, ut quod agit magis patiatur, quàm agat, & refrigeret quod calefacit, calefcat quod frigefacit, cum aut nihil fecerit, aut minus quàm ipsum affectum est. dixi de ijs, cum de ratione agendi patiendiq̄ docerem: uidelicet quibus in rebus inesset agere & pati. Degenerat autem quod patitur nec

40 superatur, aut defectu facultatis eius quod coquit & mouet, aut copia frigiditateq̄ eius, quod concoquitur & distinguitur. Cum enim partim superet, partim non superet, facit multiforme quod constituitur: ut athletarum nonnullis per usum cibi nimium accidit. Cum enim per copiā pastus natura nequeat superare, ut proportione augeat, formamq̄ seruet eandem, diuersæ efficiuntur partes, & adeo interdū, ut nihilo ferè similes primis euadant. proximum huic est morbus quem satyriā appellamus. etenim in eo præ abundantia fluxionis, aut flatus crudī in partes faciei decumbentis, facies animalis diuersi & satyri apparet. Sed quam ob causam mares & fœminæ generentur, & alij parētibus similes, fœminæ fœminis, mares maribus, alij è diuerso, fœminæ patri, mares matri, deniq̄ alij maioribus suis similes, alij suo

rum nemini similes existāt, idēq; tum corpore toto, tum partibus singulis, de ijs inquam omnibus dictum iam est. Sententiā autē aliorum etiā naturā interpretum sunt de ijs rebus, scilicet quam ob rem similes parentibus generētur. Afferunt illi duplicem modum rationis. nonnulli enim ita cēsent, ut ab utrouis plus seminis uenerit, ei similis magis generetur, æque toti totum, & parti pars, quasi ex unaquaq; parte semen decedat: sed si par de utroq; uenerit, similis neutri procreetur, quod si falsum est, nec omni ex parte decedit, cōstat nec similitudinis & dissimilitudinis causam id esse, quod referūt. Tum etiā quemadmodū simul & fœmina sit & patri similis, aut mas & similis matri, non facile explanare possunt. Qui enim, ut Empedocles aut Democritus, causam de mare & fœmina reddunt, impossibilia modo alio dicūt, sed qui quod plus minus ue à mare, aut à fœmina secesserit, alterum mare, alterum fœminam gigni causantur, ij nequeunt explicare quemadmodū fœmina patri similis, mas similis matri reddat. simul enim plus de utroq; uenire impossibile est. Ad hæc, cur similes maioribus suis magna ex parte, remotisq; generētur, cum nihil seminis ab illis secesserit, nihil profectō isti quod bene tueantur habēt, sed qui reliquum similitudinis modum afferunt, ij tum cætera, tum uero hoc melius dicūt. Sunt enim qui semen genitale dicant quamuis unum, tamen ueluti omnifariam quandam esse multorum seminum mistionem. Itaq; ut si quis multa saporum genera in eodem humore miscuerit, moxq; inde sumat, possitq; sumere semper non tantundem ex unoquoq; sed modo huius, modo illius plus, aliās etiā ex hoc sumat, ex illo nihil sumat: sic in semine genitale esse, cum ex multis ac uarijs mistum sit, à quocunq; enim gignente accesserit plurimum, ei similem forma generari, sed hæc ratio nec plana est, & passim fictitia est. uult hæc non actū, sed potentia inesse, quam omnifariam seminis commistionem appellat. & quidem ita dici melius est, illo enim modo impossibile est, hoc possibile est. Verum qui ita causam reddunt, nullo modo rationem afferre de omnibus facile poterunt, cur fœmina, cur mas gignatur, quam ob rem sæpenumero fœmina patri similis, mas matri proueniat. atque etiā de maiorum similitudine. ad hæc, qua de causa interdum homo quidem, sed nulli suorum similis generetur. aliās usqueadeò procedendo degeneret, ut demum ne homo quidem, sed animal tantū aliquod existat, quæ monstra dicuntur. Proximū enim ab ijs, quæ iam explicauimus, est, ut causas de monstris reddamus, ad extremū enim, cum motus soluantur, & materia non superetur, remanet quod maxime est uniuersale, id est animal. Iam puerum ortum capite arietis, aut bouis referunt. idemq; in cæteris membrum nominant animalis diuersi. uitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam asseuerant. Quæ omnia accidunt quidem causis supradiçtis, sed nihil ex ijs quæ nominant, est, quamuis similitudo quædam generatur, quod euenit etiā non in monstrum peruersis, quam ob rem sæpenumero per conuiciū nonnulli deformes assimilantur, aut capræ ignem efflanti, aut arieti peculeo. physiognomōn quidam omnes ad duorum aut trium animalium formas redigebat, & dicendo plerunq; persuadebat. Sed enim impossibile esse, ut tale monstrum gignatur, id est alterum in altero animal, tempora ipsa grauiditatis declarant, quæ plurimum discrepant in homine & cane, & in oue & boue, nasci autem nullum nisi suo tempore potest. partim igitur hoc modo dicuntur monstra, partim quod forma prodeant multimembri, scilicet multis pedibus, aut multis capitibus. sed profectō rationes monstrorum, & oblæforum animalium propinqua, & similes inter se quodammodo sunt, monstrum enim oblæsiō quædam est.

Quas ob causas monstrosa animalia generentur, & quare alijs unifer, alijs paucifer, alijs multiplex sit partus.

Caput IIII

Demo

Alij petulco, sed antiquus interpretes habet porco præconizanti.

Democritus uero mōstra fieri ea causa scribit, quod duo subeūt semina, alterum antē, alterū postea: quæ cum in utero cōfundantur, euenit, ut membra coalescāt atq; dissideāt. Auibus uero quoniā coitus agitur crebro, idcirco semper & oua, & colorē euariare autumat. Sed si ita sit, ut ex uno semine, eodemq; coitu plura generentur, quod patet, præstat non circūire uia omīssa breui & facili. ijs enim tum maxime id accidere necesse est, cum semina nō distinguūtur, sed simul subeūt. quod si semini maris causa tribuēda est, hoc modo dicendū sit. Sed enim ex toto potius causam in materia, cōstituēdisq; conceptibus esse censendū est. quam ob rem mōstra eiusmodi raro admodū fiunt
 10 in ijs, quæ singulos pariūt. sed crebrius in ijs, quorū partus est numerosus, & præcipue in auīū genere, earumq; potissimū in gallinis. ijs enim partus numerosus, non modo quod sæpe pariant, ut columbæ, uerumetiā quod multos simul conceptus intra se continent, & temporibus omnibus coeunt. hinc gemina etiā pariūt plura. cohærēt enim cōceptus, quoniā in propinquo alter alteri est, quomodo interdū fructus arborū complures. quod si uitella distinguūtur mēbrana, gemini pulli discreti sine ulla superuacua parte generātur. sed si uitella continuātur, nec ulla interiecta membrana determinant, pulli ex ijs mōstrifici prodeūt, corpore & capite uno, cruribus quaternis, alis totidē, quoniā superiora ex albumine generētur, & prius (uitellū enim cibo ijs est) pars autē inferior postea instituitur, quanq; cibus idem, indi-
 20 scretusq; suppeditat. iam serpens etiā biceps uisus est, uidelicet eadē de causa. nā id quoq; genus oua parit, & multa numero. sed rarius in eo mōstri institutio euenit, propter uteri formā. porrecta enim in uersum copia ouorū cōtinetur pro uteri longitudine. nec uero in genere apum aut uesparū, tale quid accidit. Cellulis enim discretis partus earum cōtinetur. At in gallinis ecōtrario sit. Vnde apertū est causam euentorū huiusmodi in materia esse putare oportere. ut enim in ijs, quæ plura pariunt, magis: sic in ijs quæ pauciora, minus id accidit. quocirca homini minus. singularem enim perfectumq; parit. nā & homini locis, quibus mulieres perfoecundæ sunt, magis id euenit, ut in terra Aegypto. capris uero & ouibus magis, ut foecundioribus accidit, atq; etiā magis multifidis. multipara enim id genus aialia sunt, nec
 30 partum perficiūt, ut canis. cæcos enim magna eorū pars solet parere. quod quam ob causam accidit, & quam ob rem pariant multos, postea explicabimus. sed enim hæc propēsiō iam sunt suapte natura ad monstrificā partionē, quando nō similes sibi generāt, sed imperfectos. nam & monstrum quid dissimile est. quam ob rem ijs quorū talis natura est, facilius casus hic obuenit. in ijs enim potissimū, & quæ metachœra appellātur, cōsistunt. quæ aliquatenus labe monstrifica sunt affecta, nam deesse, aut superesse quicq; monstruosum est. monstruosum est enim res præter naturā. sed præter eā, quæ magna ex parte sit. nā præter eam quæ semper & necessario est, nihil sit. uerū in rebus ijs quæ magna quidē ex parte ita fiunt, sed aliter etiā possunt fieri, euenit, quod præter naturā consistat. nā & inter eas ipsas, quibus acci-
 40 dit quidē præter hunc ordinē, sed nunq; quolibet modo, minus monstrum esse uidetur. quoniā quod præter naturā sit, idem etiā secundū naturā quodāmodo est, cum naturā materiæ, natura formæ nō superat. quā ob rem nec ea mōstri nomine appellātur, neq; ubi fieri aliquid solet, ut in fructibus. Vitis enim quædā est, quam aliqui capneum uocāt, quæ cum uuā albā soleat ferre, si nigrā tulit, monstrū id esse non putant, quoniā sapissime id facere ea soleat. causa est, quod sua natura inter albam & nigrā est. Itaq; nō longe disceditur, nec præter naturā ferē. non enim in aliā naturam transitur. At in ijs quæ pariūt plura, tum ea ipsa eueniūt, tum uero copia partus impedit alter alterius perfectionē, & causam genitalē. de partu numeroso, paucifero, & singulari, atq; etiā de ijs partibus, quæ aut supersunt aut desunt, quæ

τράγεαι,
capra hircina

stio existere potest. Gignuntur enim interdum alia pluribus, quam iustum sit digitis: alia uno tantum. eodemque modo in ceteris partibus, aut excedunt, aut deficiunt. nonnulla etiam duplici genitali, altero maris, altero foeminae nascuntur. & in genere quidem hominum, sed maxime in caprarum. gignuntur enim quas uocant hircinas, propterea quod simul genitale habent & maris, & foeminae. Iam & cornu gerens in crure capra conspecta est. Partibus etiam internis mutationes detrimentaque accidunt, ut uel careant aliquibus, uel habeant minuta, & laesa, uel plura numero, uel non suis posita locis. Sed corde carere nullum unquam animal ortum est: quantumque liene carere, & duplicem habere lienem, & altero uacans rene, uisum est. Iecore etiam carere toto nullum notatum est: quantumque quod non totum haberet, iam patuit. haec autem in perfectis uiuisque reperiuntur. felle item priuata prodierunt, cum sua natura habere deberent. alia contra plura habuerunt. Iam locis etiam permutatis iecur latere sinistro, lien dextro contineri uisus est. haec, ut modo dixi, in animalibus iam perfectis explorata sunt, in nascuntibus autem uarie perturbatur. Quae si parum de sua natura discedunt, uiuere solent: si plus, uiuere nequeunt, uidelicet cum quod praeter naturam est, partibus uiuendi principalibus accidit. modus uero considerandi de his est, utrum eandem causam putare oporteat partus singularis, & partium defectus: itemque partus numerosi, & partium excessus, an non eandem. Primum igitur quod alia pariatur multa, alia unum, merito quispiam miretur. Quae enim maxima inter animalia sunt, ea singulos pariunt: ut elephas, camelus, equus, & reliquae solipedes, quae partim maiora ceteris sunt, partim longe magnitudine superant. Canis uero & lupus & reliqua multifida omnia ferere pariunt multa: atque etiam parua eiusdem generis, ut mures, bisulca pauca generant, praeterquam sues. haec enim inter multipara est enumeranda. Ratio enim probabilis est, ut maiora animalia plura generare, plusque afferre seminis possint. Sed certe id ipsum quod admirari facit, causae est, ne admiremur. facit enim eorum magnitudo, ne multa pariatur. cibus enim in istis absumitur in corporis incrementum. minoribus uero natura demendo de magnitudine, auget in excremento seminali exuperantiam. Item plus seminis genitalis esse, quod maioris est animalis, minus autem quod minoris, necesse est. At multa effici parua in eodem possunt, multa magna effici difficile est, mediocribus uero magnitudinis medium a natura datum est. Sed quam ob rem animantium alia maiora sunt, alia minora, alia mediocria, causam ante reddidimus. Sunt autem alia unipara, alia paucipara, alia multipara. & magna ex parte unipara sunt quae solipeda, paucipara quae bisulca, multipara quae multifida. cuius rei causa est, quod magna ex parte magnitudines corporis istis differentiis distinguunt. tamen non ita in omnibus est. magnitudo enim & paruitudo corporis causam habent partus amplioris, & parioris, non solipedis aut multifidi, aut bisulci generis ratio. cuius rei testimonium est, quod elephas animalium maximum, idemque multifidum est. camelus bisulcus est, quod maximum inter reliqua est. nec solum in pedestrium genere, sed etiam in uolatiliu, & nantium magna parum foecunda sunt, parua uero perquam foecunda eadem de causa. plantae etiam non quae maximae sunt plurimum afferunt fructus. diximus quae ob rem alia parere multa, alia pauca sua natura assolent. Sed huius quaestionis illud maxime quis miretur in istis quae pariunt multa, quod plerumque uno initu animalia id genus impleri cernitur. Semen autem maris, siue ad materiam confert, se adhibens partem conceptus, & miscens cum semine foeminae, siue non eo modo, sed ut nos censemur, cogit, conditque materiam contentam in utero, foeminaleque foeminae excrementum, ut succus lactis humoris spissat, cur tandem non unum efficit animal incrementi maioris: ut succus in lacte non certa quantitate ad cogendum describitur. sed quo plus lactis plus succi subierit, eo plus colostri concrescit. semen igitur trahi a locis uteri, atque ob eam rem multa generari pro numero locorum & acetabulorum, quae unum non sunt, opinari nihil rationis est. saepe enim eodem in loco uteri gemini consistunt. in genere etiam multiparo, cum plenus foetuum uterus fuerit, deinceps alius ab alio iacere cernitur. quod

quod ex dissectionibus patet, sed ut perficiendi cuiusque animalis certa est magnitudo, tum ad maius, tum uero ad minus, quae terminum non supragrediuntur, ut uel maiora, uel minora euadant, sed in medio magnitudinis spacio excessum defectum uel inter se capiunt, atque ita homo alius alio auctior est, & caeterorum quoduis animalium: sic materia seminalis, ex qua consistunt, non indefinita est, nec in plus, nec in minus, ut ex quatalibet possint generari. Quae igitur animalia ea, quam diximus, causa plus excrementi secernunt, quam satis sit ad unius animalis originem, ipsi fieri non potest, ut ex eo toto unum gignat animal. sed tot numero gigni necesse est, quot magnitudinibus debitis praescripta sunt. nec uero maris semine, aut facultas contenta in maris semine plus
 10 quicquam, aut minus constituit, quam a natura sancitum est. eodemque modo, si plus seminis mas emiserit, aut facultates plures in semine diuidendo contentas, nihilo maius efficiet, quamuis plurimum accesserit: imo contrarium ager. exiccando enim corrumpet. neque enim ignis quo plus fuerit, eo magis calefaciet aquam: sed certus caloris terminus est, ultra quem si ignem augeas, nihilo reddes aquam calidioram, sed facies ut magis euaporet, demumque deleat & exiccetur. Cum igitur haec moderationem certam inter se requirant, scilicet excrementum foeminae & maris, qui semine emittant, multipara animalia statim emittunt quod sibi conueniat, uidelicet mas quod diuisum possit constituit plura: foemina tantum ut plura constitui possint. lactis autem illud exemplum simile non est. seminis enim calor non modo efficit quantum, sed etiam quale quid. at succi & coaguli calor
 20 quantum duntaxat constituit. Causa igitur ut plures conceptus contrahantur, nec unum continuum ex cunctis consumetur in multiparis animalibus, haec est, quod non ex quotalibet conceptus inchoetur, sed si aut parum, aut multum admodum sit, gigni non poterit. praescripta enim certa est uirtus, & patientis, & agentis. simili modo in uniparis magnisque animalibus, non multa ex multo excremento consistunt, cum in ipsis etiam ex certo quanto certum quantum, quod conficitur, sit. plus igitur materiae talis non mittit ea, quam praediximus, causa. quam autem mittit, talis per naturam est, ex qua unus tantum conceptus generetur. quod si aliquando plus accesserit, tunc gemini nascuntur. ex quo fit, ut haec portenta potius iudicentur, quoniam praeter solitum, & quod magna ex parte agatur proueniunt. Homo cum omnibus generibus ambigit, nam & uniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est, sed maxime sua natura uniparum est. humore profecto caloreque corporis multiparum est. seminis enim natura humida & calida est. sed
 30 suae magnitudinis ratione pauciparum, atque uniparum est. hinc tempus etiam uteri ferendi enorme unum hoc animal fortitum est. caeteris enim unum est tempus, homini uero plura sunt. quippe cum & septimo mense, & decimo nascatur: atque etiam inter septimum & decimum positus, qui enim mense octauo nascuntur, etsi minus, tamen uiuere possunt. cuius rei causa accipit ex ipsis, quae modo explicauimus, potest. dixi de his in problematibus, atque de his rebus ita differuisse, statuisseque satis sit. Partium autem superuacuarum praeter naturam eadem causa est, quae geminorum generationis. iam enim in conceptu causa accidit, uidelicet si plus materiae consistit, quam pro ipsius natura partis sit. sic
 40 enim accidit, ut uel pars maior, quam iustum sit efficiatur. uerbi gratia, digitus, aut manus, aut pes, aut aliud ex caeteris postremis aut membris: uel fisco conceptu plures reddantur, quomodo in fluuijs uertigenes geminantur. fit enim ibi, ut humor qui fertur, & profluens mouetur, si in aliquid offenderit, secetur, & ex una in duas euadat constitutiones, quae eundem habeant motum. hoc eodem modo in conceptibus euenit. adnascuntur partes illae uacantes maxime quidem propinqua, sed aliquando etiam remotae propter conceptus motionem, quantum praecipue, quod materiae exuperantia ibi redditur, quo tandem decubuit, formam uero unde superfuit, inde recipit. Quibus autem gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum foeminae, ipsi semper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum subinde delitescat, quoniam praeter naturam est.

φύμαρς,
abscessus.

agnatum est enim modo abscessus, nam & abscessus assumunt aliquid nutrimenti, quamuis post geniti sint, & prater naturam. Sed si quod creat, omnino aut superat, aut superatur, similia oriuntur duo, ac si partim superauit, partim superatum est, alterum foemina, alterum mas generatur. nihil enim interest de partibus, an de toto dicamus, uidelicet quam ob causam alterum mas, alterum foemina gignatur, ubi autem partes eiusmodi defunt, ut postrema aliqua, aut alia quaeuis membra, eandem causam esse putandum, quam, si omnino quod gignitur, abortum patitur. abortus autem conceptuum euenire complures certum est. differunt agnationes a partu multiplici quomodo exposui, monstra uero cum ijs dissident, eo quod pluribus coalescant. sed nonnulla hoc etiam modo ueniunt, si in parte maiore, & praecipua quadam peruersum est. ut si qua gemino liene, aut pluribus renibus oriuntur, tum etiam locis partium commutatis, monstrum dicimus. quod diuersione motuum, translationeque materiae accidit. Vnum ne an plura sit per coagmationem, quod monstrificum prodit animal, iudicandum est principij ratione. uerbi gratia, si cor pars eiusmodi est, quod unum cor habet, unum animal est: quod duo, id duo est animalia, quae sibi coaluerunt propter conceptuum coniunctionem. partes uero superuacuas agnationes esse declaratum iam est. accidit etiam saepe, ut pluribus ex ijs, quae ante oblaesa non uiderentur, animalibus iam perfectis meatus aut adducti concorporarentur, aut diuenterentur. iam foeminis nonnullis os uteri compressum, concorporatumque ab ineunte aetate ad tempus usque menstruorum perseuerauit, mox urgentibus menstruis, doloreque infestare, alijs sponte disruptum est, alijs dissectum a medicis. nonnullae interierunt, cum aut per uim disrumperetur, aut disrumpi non posset. pueris etiam quibusdam genitalis postremum, & meatus qua excrementum uesicae transit, non eodem tetenderunt, sed infra meatus ille transegit. quam ob rem demissis clunibus mingunt, qui testibus paulo in partem superiorem retractis, uidentur a longe simul, & maris habere genitale, & foeminae. meatus etiam alimeti siccum coaliuit aliquibus bestijs, scilicet ouibus, & quibusdam alijs. nam & uaccam fuisse Pirinthi accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per uesicam transmittebatur, dissectusque anus denuo propere coalescebat, nec ressecando euincere uitium poterant. de partu multiplici & paucifero, ac de agnatione partium aut defectu, atque etiam de monstrifico partu dictum iam est.

Quam ob rem animalium alia superfœtent, alia non: & quae superfœtant interdum foetus enutriant, interdum non: & alia libidinosa in eo genere sint, alia non. Caput V



Nimalium uero alia nunquam superfœtant, alia superfœtant. quorum quaedam enutrire suos conceptus semper possunt, quaedam interdum possunt, interdum nequeunt. Causa ne superfœtent est, quod singula pariunt. solipedes enim, & quae ijs auctiores sunt animates, nunquam superfœtant. facit enim earum magnitudo, ut excrementum omne in conceptum absumatur. quippe cum in ijs omnibus, corporis sit magnitudo. quae autem magno corpore sunt, eorum foetus quoque magni pro sui generis magnitudine instuntur. ex quo fit, ut elephantorum foetus magnitudine uitulij gestetur. multipara ideo superfœtant, quoniam plures conceptus superfœtatus quidam, alter alteri sunt. Quae autem ex his magnitudine praedita sunt, ut homo, si alter coitus proxime ab altero accessit, enutrire quod superfœtatum est possunt. Iam enim id euenisse uisum est. cuius rei causa id quod diximus est. eodem enim coitu plus seminis mittitur, quod partitum multiplicare conceptum potest, si alterum post alterum accedit. sed si iam aucto conceptu coitus adhibetur, superfœtari quidem potest, sed raro. quoniam uterus magna ex parte ad partum usque se comprimatur. Si tamen alia quando accidit ut superfœtetur (iam enim id euenisse constat) perfici non potest. sed

sed conceptus abiguntur similes ijs, quos abortus uocamus. ut enim in uniparo genere omne excrementū absumitur in id quod præcesserit, ob corporis magnitudinem, sic in ijs fieri solet. sed in illis statim, in his cum iam foetus accreuerit. tunc enim similem uniparis conditionē recipiūt. pari ratione sola animalū mulier, & equa grauida coitū patiuntur, homo enim sua natura præfoecundū animal est, aliquid etiā in utero, tum spacij, tum excrementi superest, quanquā non tantū, ut uel alterū possit alere. mulier itaq; ob eam causam coitū recipit. equa autē soliditate suæ naturæ, & quod aliquid spacij in utero supersit, ut dictū est, amplius quidē, quā ut ab uno occupetur, sed arctius quā ut alterum perfectē possit superfoetari. libidinosa natura est equa ob eundē affectū, quo solida omnia Veneris sunt appetētiōra. illa enim ita se habēt, quia carent purgatione, quæ perinde est foeminis, ut coitus maribus. equa enim mēstrua minime emittit. omniū autē uiuiparorū foeminæ solidæ sunt libidinosiores, quoniā simili modo se habēt, atq; mares, qui semē genitale collectū nō excernunt. foeminis enim purgatio menstruorū seminis exitus est, cum mēstrua non nisi semē sint inconcoctū, ut antē diximus. quam ob rem mulieres quæ incōtinentes ad rem uenerē sunt, libidine cessant, cum sapius generarint. iam enim seminale excrementū, quod libidinē accēdebat, emissum facit, ne præterea cōcumbēdi auiditas stimulet. In genere auīū foeminæ minus quā mares Venerē appetūt, quoniā uterum cōtinent iuxta septū. mares cōtrā salaciores sunt, quoniā testes intus habēt retractos. Itaq; fit, ut quæ ex ijs sua natura abundāt semine, coitū semper desiderēt. foeminæ igitur huius generis propēsiōres ad coitū sunt uterī descensu: mares testiū retractu. Diximus quam ob causam alia nullo pacto superfoetāt, alia superfoetāt quidem, sed cōceptus interdū enutriūt, interdū non, & quā ob rem alia libidinosa, alia non libidinosa in eo genere sunt. Sunt autē nonnulla superfoetātia, quæ longo etiā interposito tēpore coeundi possint enutrire conceptū, quæ superfoetarint: uidelicet ea, quorum genus semine genitale abūdat, & corporis magnitudine caret, & multa generat. Cum enim multiparū sit, uterū habet ampliorē, cum semine abundet, multum purgationis excrementitiæ emittit. cum corporis magnitudine careat, maioreq; portione purgatio superet quā cōceptus desideret nutrimentū, possunt uel post constitui animalia, eadēq; enutrirī, ac perfici. uterī etiā eorū non se cōprimunt, quoniam excrementum purgationis superest. quod mulieribus quoq; euenit. fit enim nonnullis grauidis purgatio, & interdū quæ ad finē usq; perseueret. sed ijs præter naturam hoc euenit. quam ob rem foetus afficitur detrimento. at eiusmodi animalibus per naturā sic agitur. Ita enim corpus eorū principio constitutū est, quale corpus leporum est. hoc enim animal superfoetat. quippe quod nec magnū sit, & plura generet. multifidū enim est. tale autem quoduis plura generat. semine etiā abūdat, quod eius hirsutie significatur. copia enim pilī exuperat. nam hoc unū pilos & sub pedibus habet, & intra genas. pilī autē abundātia & hirsuties, copiā indicat excrementi. Quā ob rem homines pilosi libidinosiores, & seminis copiosiores sunt quā læues. lepus igitur sæpenumero foetus alios imperfectos gestat, alios perfectos iam adit.

Quare uiuiparorum alia perfectum, alia imperfectum animal pariunt. Caput VI



uiuiparorum alia imperfectum animal pariunt, alia perfectum. solipedes & bisulcæ perfectum: multifidæ complures imperfectum. cuius rei causa est, quod solipedes singulos pariunt: bisulcæ aut singulos, aut binos magna ex parte. enutrire autem quæ pauca gignuntur, facile possunt. multifidæ, quæ pariunt imperfecta, omnes multiparæ sunt. quo fit, ut partum adhuc recentem alere possint, auctum iam, adeptumq; magnitudinem nequeant: sed cum corpus ad nutriendum non sufficiat,

partum emittant, ut ea quæ uermem pariunt, quædam enim ex ijs catulos inarticu-
 latos propemodum pariunt, ut uulpes, urfa, leæna, & alia nonnulla. sed omnia ferè
 cæcos, ut ea quæ modo dixi, atque etiam canis, lupa, lupus ceruarius. sola inter mul-
 tipara sus parit perfectos, eaq; una euariat. generat enim multos more multifidi ge-
 neris, cum & bisulcum, & solipes sit. Sunt enim locis quibusdam sues solida ungu-
 la. partu igitur numerosa est, quoniam alimētum quod in corporis magnitudinem
 absumeretur, in excrementum seminale decedit. Id enim ut solipes magnitudine
 caret. quin & potius quasi ambigēs cum natura solipedum bisulcum est. hac igitur
 causa & unum parit, & duos, & quod plurimum, multos. enutrit uero usque in fi-
 nem, quæ peperit, propter sui corporis alimoniam probam. habet enim ut solum ¹⁰
 pingue suis stirpibus: sic scrofa filijs alimētum copiosum & cōmodum. Aues etiam
 nonnullæ imperfectos & cæcos pariunt pullos, uidelicet quæ cum paruæ corpore
 sint, multos progenerant, ut cornix, pica, passer, hirundo, & paucipari generis, quæ
 copiam alimenti parere unà cum prole non solent, ut palumbes, turtur, columba.
 quam ob rem si quis hirundinum nouellarum adhuc oculos præpungat, rursus
 incolumes reddentur. Cum enim fiunt, non facti iam corrumpuntur. itaq; denuò
 oriuntur, ac pullulant. Omnino hæc præueniunt generationē perfectam ob alen-
 di inopiam. generant uero imperfectos, quoniam perfectionem præueniūt. quod
 in pueris etiam patet, qui mense septimo nascuntur. Sæpe enim nonnulli eorū præ
 sua imperfectione, ne meatus quidē integros adhuc habēt, ut aurium, aut narium: ²⁰
 sed post accrescentes recipiunt, multiq; ex ijs uitæ compotes euadunt. Mares po-
 tius quàm fœminæ oblasi in genere hominum nascuntur, cum in cæteris animalis-
 bus nihilo potius mares, quàm fœminæ ita proueniant. cuius rei causa est, quod in
 hominibus longe mas à fœmina differt calore naturæ. quo fit, ut mobiliores sint ma-
 res in utero quàm fœminæ. motu autem ipso franguntur, cum recens quoduis faci-
 le præ sua imbecillitate frangi possit. hæc eadem causa est, ne fœminæ similiter atq;
 mares perficiantur in genere hominū. quippe cum & intra parentem fœmina tem-
 pore longiore conficiatur, quàm mas: & ubi in lucem uenerint, celerius fœminæ
 quàm mares perficiantur. nam & pubes, & uigor, & senectus fœminis prius uenit
 quàm maribus. sunt enim fœminæ sua natura debiliores, frigidioresq;. & sexū fœ- ³⁰
 mineum quasi læsionem naturalem, & detrimentū esse putandum est. Intus igitur
 tarde præ sua frigiditate discernuntur. hæc etenim discretio concoctio est. calor au-
 tem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est. sed foris propter suam de-
 bilitatem citò ad ætatis florem, senectutemq; perueniunt. etenim omnia minora,
 ut in artis operibus, sic in naturæ citius ad finem deueniunt. eadem causa est, ut qui
 gemini mas & fœmina in genere hominum prodeunt, minus seruetur, cum in cæ-
 teris animalibus nihilo referet. hominibus enim hic concursus præter naturam est,
 cum non pari tempore mas & fœmina discernatur. sed aut marem contari, aut fœ-
 minam præuenire necesse sit, at in cæteris id non præter naturam est. In ferendo
 etiam utero homines cum cæteris animalibus dissidēt. cum enim cætera plurimum ⁴⁰
 temporis ualeant corpore, cum uterum ferunt, mulieres magna ex parte agræ de-
 gunt. cuius rei causa aliqua uel ad uitam referri potest. Cum enim mulieres uitam
 ociosam & sellulariam quandam degant, plus contrahunt sibi excremēti. nam qui-
 bus gentibus solitum est, ut mulieres labores suscipiant, ijs nec uterus tam difficul-
 ter gestatur, & partus facilis est. deniq; quibusuis locis mulieres, quæ laborare con-
 sueuerunt, facilius pariunt. labor enim excrementa consumit, quæ in mulieribus
 ociosis augentur. Cumq; parturigo laboriosa sit, labor & exercitatio actæ uitæ facit,
 ut spiritum possint retinere: in qua re partus facilitas conciliatur. Afferunt igitur ea
 quoque, ut modo dixi, aliquid causæ ad eius affectionis differentiam, qua mulieres
 cæteris

cæteris animalibus in ferendo utero discrepant. sed maxime causa est, quod cum cæteris aut exigua purgatio, aut nulla manifesta fiat, mulieri plurima euenit, quæ cum per uteri gestationem desierit, infestat atq; perturbat, quippe cum etiam non grauidis, nisi purgationes fiant, ægritudines accidant, principio potius cum concipiunt perturbari solent magna ex parte. conceptus enim purgationem impedit, & præ sua exiguitate absumere copiam excrementi inter initia non potest: quanquam post, ubi iam plenius assumere cœperit, leuat, at in cæteris animalibus, quoniam parum excrementi est, modice ad fœtus incrementum accommodatur. Cumq; excrementa, quæ nutritionem impediunt, absumantur, ualent felicius.

10 Nec secus aquatile genus, aut uolatile afficitur. Iam uero accrescente fœtu, quibus non æque proba altio contingit, causa est, quod fœtus incrementum plus excrementi alimenti desideret. paucis quibusdam mulieribus euenit, ut prægnantes melius ualeant corpore, uidelicet ijs quarum in corpore exigua continentur excrementa, quæ absumi possint cum alimento quod fœtui administratur.

Quam ob causam mola in uteris mulierum generetur, & quare potius in muliere, quam in cæteris animalibus.

Caput VII

20 **D**E eo quod mola uocatur uidendum est, accidit hoc uitium mulieribus nonnullis grauidis, quanquam raro, pariunt enim quod molam uocant. Iam accidit enim mulieri cuidam, ut cum concubisset & se concepisse putasset, primum uentris moles augetur, & reliqua ex ratione uenirent. Sed cum tempus pariendi iam esset, nec pareret, neque moles minueretur, sed annos tres aut quatuor ita perseveraret, quoad dysenteria, id est, difficultati intestinorum implicata, eoq; modo periclitata, demum pepererit carnem, quam molam uocant. Quin & tota uita edurat hoc uitium, ut & consenescat & commoriatur. Quæ autem prodierit, adeo obdurefcit, ut uix ferro transigi possit, causam huius affectus dixi in problematibus. Afficitur enim conceptus eodem modo, quo ea quæ inquinari dicimus, cum elixantur, nec per calorem ut quidam uolunt, sed potius propter caloris debilitatem, natura enim de uita

30 certare uidetur, nec posse perficere, finemq; apponere generationi, quam ob rem aut tota uita, aut longo tempore durat, quod inchoatū est, nec enim ut perfectam, nec ut alienam omnino habet naturam, causa nanque duritiæ cruditas est, quippe cum inquinatio quoque cruditas quædam sit. Sed quæritur cur cæteris animalibus idem non accidat, nisi quid admodum lateat, causam uero esse putandum, quod mulier una omnium animalium affectionibus uteri obnoxia est, & mensuris abundat, nec potest ea concoquere. Cum igitur ex humore concoctu difficili conceptus consistit, tunc gignitur quod mola uocatur, idq; in mulieribus merito, aut solis, aut maxime.

Quæ animalia lac habeant, & quam ob causam à natura datum sit.

Caput VIII

40 **L**Ac autem sit ijs fœminis, quæ animal intra se generant, quod utile partus tempore est, natura enim id alimēti gratia externi animalibus parauit, ut nec deesset tempore debito, neque ultra id tempus superesset, quod ita planè euenire uidemus, nisi quid præter naturam acciderit. Sed cæteris animalibus, quoniam tempus simplex ferēdi uteri, partusq; datum est, lactis concoctio ad hoc tempus solet accedere, hominibus uero quoniam plura sunt tempora, primo adesse necesse est, quam ob rem lac mulierum, cum ante septimum mensem inutile sit, utile iam septimo redditur mense. Causa etiam necessitatis propria, cōcoctio lactis temporibus ultimis habetur. prin-

Bb

cipio enim decessio huiuscemodi excrementi absimitur in foetus generationem.
 Omnibus autem alimento est, quod dulcissimum & coctissimum sit. Itaque sublata
 hac facultate, reliquum falsum, maleque sapidum esse necesse est. Sed cum foetus ma-
 gis, magisque perficiatur, plus excrementi superest, minus enim absimitur, idque dul-
 cius est, cum non aequae detrahatur, quod bene concoctum sit, non enim in super
 ad foetus informationem consumitur, sed ad incrementum mediocre, quasi iam
 foetus constet adeptus finem suum, est enim & conceptus perfectio, quam ob rem
 exit, permutatque generationem, ut qui iam sua receperit, nec praeterea accipit quod
 suum non est, quo tempore lac utile datur. Colligitur hoc parte superiore corpo-
 ris, & mammis, propter ordinem primae, originalisque constitutionis. praecipua enim
 pars animalis quae supra septum est, inferior uero ad cibum, & excrementum ac-
 commodata est, ut gressile animalium genus habens intra se alimenti suppetias lo-
 ca permutet. hinc feminale quoque excrementum secernitur ob eam, quam inter
 initia disputationis nostrae reddidimus causam, est enim naturae sanguineae, tum
 excrementum maris, tum menstrua foeminae, sanguinis autem & uenarum prin-
 cipium cor est, quod in ea ipsa parte superiore positum est, quapropter hic primum
 excrementi talis mutationem innotescere necesse est, ex quo fit, ut & uoces, tum
 marium, tum foeminarum immutentur, cum semen ferre incipiunt (hinc enim uox
 suam originem trahit, alteratur uero cum id, quod moueat, alteretur) & mammae
 subleuentur etiam maribus plane, sed foeminis amplius, quod enim parte inferiore
 multum excernitur, ideo locus mammaru inanis, fungosusque foeminis fit, eodemque
 modo ijs euenit animalibus, quibus mammae infra habentur. Igitur & uox, & mam-
 mae in caeteris quoque animalibus documentum euidenter praebent homini usum
 habenti generis cuiusque, sed plurimum in genere hominum interest. Cuius rei cau-
 sa est, quod excrementum plurimum, & mulieribus praeter caeteris foeminis, & uiris
 praeter caeteris maribus est pro magnitudine, alteris menstruorum, alteris geniturae.
 Itaque cum hoc foeminae excrementum non a foetu hauritur, & tamen ne foras
 profluat prohibetur, colligi id in loca inania, quaecumque eisdem meatibus adheret,
 necesse est. Talis autem locus mammaru in omnibus est utraque de causa, scilicet notae
 melioris gratia ita conditus, atque etiam necessario hic iam consistit, & alimentum conco-
 ctum animalibus redditur. Concoctionis autem causam non solum quam modo dix-
 imus accipere licet, sed contrariam etiam, nam & ut foetus maiusculus iam factus plus
 assumat cibi, minusque ob eam rem per id tempus super sit, ratio probabilis est, quod
 autem minus est, concoqui celerius potest. Sed lactis naturam eandem esse, quam excre-
 menti, ex quo unumquodque generetur, apertum est, nam quod ante diximus, eadem
 materia est quae alit, & ex qua generationem natura constituit, eaque sanguineus hu-
 mor in sanguinem habentibus est, lac enim sanguis concoctus est, non corruptus. Empe-
 docles uero aut non recte putauit, aut non bene usus uerbo translatio est, cum dix-
 erit: Octauo decimo mensis pus extitit album, putredo enim concoctioni contrarium
 est. Pus autem putredo quaedam est, lac uero res est concocta prorsus, nec lactantibus
 fiunt purgationes secundum naturam, neque lactantes concipiunt, & si conceperit, lac
 extinguitur, quoniam eadem lactis, & menstruorum natura est, natura autem non
 tam large profundere potest, ut anceps sit, sed si alterutram in partem secernitur, in
 alteram desit necesse est, nisi quid acciderit uiolentum, & praeter id, quod solitum
 magna ex parte est. Temporibus etiam bene praescripta est generatio animalium,
 cum enim praeter magnitudinem non satis praeterea foetui est alimentum, quod per um-
 bilicum ministratur, lac ad alendum utile succedit. Cumque per umbilicum alimen-
 tum non subeat, comprimunt sese uenae illae circum quas tunica est, quae umbilicus
 uocatur, atque ob eam rem tunc exitus opportune foetus consequitur.

Quam

Quam ob causam partus nonnullis animalibus in caput uersis fiat.

Caput IX



Artus autem pronis in caput conuersis fit per naturam animalibus omnibus, propterea quod partem ab umbilico maiorē habeant, quā inferiorem. maiora autem plus ponderis continent. itaq; ueluti in statera dependentes eō uergunt, quō trahuntur.

De tempore ferendi uteri, & quare non omne animal possit esse diuturnius.

Caput X

10



Teri autem ferēdi tempora certa, cuiq; animalium sunt magna quidem ex parte pro uitae spatio. uiuaciorum enim generationes quoq; diuturniores esse necesse est. non tamen id causae est, sed magna ex parte sic euenit. maiora enim perfectioraq; sanguinei generis animalia plus temporis uiuunt. sed non omnia maiora sunt uiuaciora.

homo enim plus temporis, quā quoduis animal uiuit, excepto elephante, quod quidē usu adhuc fide digno nouerimus. quanquam homo minoris est incrementi, quā ueterina, & alia multa. Causa ne quoduis animal possit diu uiuere, est, quod pro aere ambiente temperatur, atque etiam ob alios naturales casus, de quibus mox dicam. Tempora ferendi uteri pro magnitudine animalium, quae generantur
 20 descripta sunt. haud enim tempore breui constitutiones perfici magnas, uel animalium, uel quorumuis aliorum ferē facile est. Quam ob rem equi, & quae ijs cognata sunt animalia, quanquam minus temporis uiuunt, tamen diutius uterum ferunt: alia enim annum, alia quod plurimum menses denos grauida exigunt. hac eadem de causa elephantorum etiam uterus diutinus est: biennio nanque gestatur, propter exuperantiam magnitudinis. Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & uitarum dimensionem circuitibus sibi exposcunt recipere. circuitum appello diem, noctem, mensem, annum, & tempora, quae ijs describuntur, atque etiam lunae traiectiones. sunt enim lunae circuitus
 30 complementa, & silentia, & interpositorū temporum sectiones. ita enim coit cum sole. mensis namq; communis amborum circuitus est. luna autem principium est propter solis societatem, receptumq; lucis: fit enim quasi alter sol minor. quam ob rem conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, sine moderatione corruptiones efficiunt. terminum autem tum principij, tum finis qualitatum earum motus horum syderum obtinet. ut enim & mare, & omnem humorum naturam subsistere, mutari ue pro flatuum motu, & quiete uidemus, aërem uero & flatum pro solis, lunaeq; circuitu affici: sic ea, quae ex ijs aut in ijs oriuntur, sequi necesse est. Nam ut rerum minus principalium circuitus sequatur, magis principalium rerum circuitum ratio est. Vitam enim quandā & ortum, & interitum, uel flatuum esse fateor. Con
 40 uersionis uero eorum syderū alia fortasse principia sunt. natura igitur ita sibi uult, ut eorum numeris generationes & obitus numeret. sed exquisite id facere nequit, propter materiae indefinitionem, & quod multa principia incidunt quae generationes destinatas secundum naturam, & corruptiones saepe impediunt, atque ita causa sint earū, quae ueniant praeter naturā. Sed de alimento intrinsecus ministrando animalium, atque de generatione in lucem agenda, & seorsum de singulis, & summatim de omnibus dictum iam est.

His enim ad solem commutatur

DE GENERAT. ANIMALIUM LIBRI

QUARTI FINIS.

Bb 2